Jahresbericht

des

k. k. Kaiser Franz Joseph-Staatsgymnasiums

in Krainburg

veröffentlicht

für das Schuljahr 1901/1902

von

Josef Hubad

k. k. Gymnasial-Direktor.

Inhalt:



Krainburg 1902.

Buchdruckerei von Ig. v. Kleinmayr & Fed. Bamberg in Laibach.

Verlag des k. k. Kaiser Franz Joseph-Staatsgymnasiums.

Jahresbericht

des

k. k. Kaiser Franz Joseph-Staatsgymnasiums

in Krainburg

veröffentlicht

für das Schuljahr 1901/1902

von

Josef Hubad,

k. k. Gymnasial-Direktor.

Inhalt:



Krainburg 1902.

Buchdruckerei von Ig. v. Kleinmayr & Fed. Bamberg in Laibach.

Verlag des k. k. Kaiser Franz Joseph-Staatsgymnasiums.

De compositione P. Terenti Phormionis.

Scripsit Dr. Jos. Tominšek.

Huiusmodi quaestiones ut saepe leves minimique ne dicam nullius pretii habentur his temporibus, ita prioribus nimis florebant. Quod pro copia quaestiuncularum multa exstiterunt perversa et fucata, ob aliquot peccata abiecta est res ipsa. Sed non est neglegendum his quaestionibus praeter nonnulla, quae stare non possunt, multa haud spernenda prolata esse in lucem.

Distinguere opus est cum inter poëmata Graeca et Latina tum *inter varia genera* artis poeticae. Imprimis dabatur operà, quibus quandam responsionem inesse verisimillimum putabatur: poëmatis elegeis similisque generis.[1] Dolendum est multos ad opus violenter accessisse ac versibus transpositis aliisque prout libuit mutatis (cf. quae de Tibullo sunt scripta) rei per se laudabili fecisse iacturam.

Quod ad poemata *scaenica* attinet, res aliter se habet. Choros quidem, quos nuncupamus, tragoediarum Graecarum per strophas esse compositos, quis est qui nesciat? Sed quid dicamus de Romanis, qui in chori loco posuerunt canticum quod dicimus? Cantica certe non sine arte esse composita cum natura ipsa putandum tum diserte traditum est (vid. infra), sed non sunt satis disquisita[2]; de Terentianis pauca proferre nobis proposuimus.

Minime viri docti versati sunt in disponendis partibus, quos nos dicimus dialogicas, quibus Romani indiderunt nomen *diverbium*[3], cum de dialogo Graeco haud pauci disseruissent.

A.

I. Diverbium.

G. Hermann, «Elem. doctr. metr.», lib. III. c. 20, «de responsione metrorum in diverbiis», p. 718—720, annotavit tragicos Graecorum poetas etiam partes *dialogicas* congruenter dispertivisse. Hac via longius progressi sunt F. Ritschl, O. Ribbeck allii multi, atque Hermannum bene observavisse praecipue in

---

[1] Exempli gratia cf. quae scripserunt: H. Weil de Tyrtaeo; de poetis Romanis, praecipue de Tibullo et Vergili eclogis permulti, quorum nomina sunt divulgata, Ribbeck, Peiper, Kolster, Maurenbrecher alii.

[2] Cf. *Dziatzko-Hauler,* editio Phormionis, p. 42[4], 228. De canticis Plautinis praecipue disseruit F. Leo, «Die plantin. Cantica und die hellenist. Lyrik» (Abhandl. der Gött. Gesellsch. d. Wiss., phil.-hist. Klasse, Neue Folge I., Nr. 7).

[3] De voce cf. Hauler l. l. p. 43[2].

Aeschylo, multum in Sophocle et Euripide demonstrabatur. W. Christ,[4] quae usque ad eius aetatem de hac re erant conscripta, perspexit multisque in partibus restrinxit. Quaestionem ad finem perduxit, illustravit onmesque, qui de ea agunt, libros congessit M. de Karajan.[5] Qui in disputatione sua p. 163 sq. leges talium quaestionum investigatas diserte in has quattuor redegit: 1.) Singulae partes sibi respondentes plane ac plene inter se congruant necesse est *numero* versuum, 2.) metro. 3.) Partes respondentes circumscribat sententiarum ordo et scaenarum mutatio. 4.) Partes non aliae nisi eiusdem generis sibi respondeant, i. e. monologus monologo, dialogus dialogo. . .

Has leges probatas habeo; attamen haec notanda puto: 1.) Hae leges quamvis sint probatae, fluxerunt ex carminibus *Graecis* iisque *tragicis*; qua de re *per se* non elucet eas licere in *Latinis* quoque adhiberi *comoediis;*[6] atque ego quidem mihi persuasi illas Karajani *regulas apud Romanos fuisse laxiores* idque imprimis de tertia et quarta regula ponendum videtur ac sumendum.[7] 2.) Quod summi est momenti: de fabularum compositione Graecarum quia copia iusta librorum est scripta, facilius res et ratio penitus perspicitur. Apud Romanos contra nihil fere de diverbio disponendo est observatum; praeter *R. Klotzii* dissertationem[8] mihi cognita sunt tantum, quae de Plauto acute observata pronuntiavit in schola Goldbacher Graeciensis.

Quamobrem non alienum est quaerere, num quid tale inveniatur in Terentio.

Hoc in opusculo pertractandam mihi proposui «*Phormionem*», fabulam illam notissimam, sine certis legibus ante oculos propositis eamque dissolvam in partes minores, *nixus ante omnia* in *connexu sententiarum,* qui sine dubio ad rem maximi est momenti, *interdum etiam re metrica.* Dispositio singularum scaenarum mihi occurrebat per se, quamquam confitendum est me saepe scaena semel perlecta symmetriae nihil animadvertisse; penitus demum percepta partes per se ipsae evenerunt convenientes et numero versuum et sententia in iis posita.

Cum, quo magis adverti animum in singulas partes, eo amplior mihi visa sit symmetria, non dubito, quin si quis subtilioribus rationibus rem persequatur, haud spernendum capiat fructum praesertim omnibus Terenti, fabulis perquisitis.

---

[4] «Metrik der Griechen und Römer»[2], p. 603 sqq.

[5] «Über den Bau der Rezitativpartien der griech. Tragiker» (I.) in libro «Analecta Graeciensia.» Graz 1893, p. 157—164.

[6] Quamquam id considerandum est archaicos praecipue poëtas Latinos ordine argumenti, per sententias inter se conclusas bene disposito, fuisse subtiliores.

[7] Cf. infra, p. 8, vers. 102, ubi intermissio posita in media est oratione; vv. 112—139, si numeros spectas, non plane quadrant ad vv. 51—79 et 80—108. Versiculi 325 syllaba «Ah» sequenti est adicienda parti, perinde vv. 626 «an legibus». De v. 795 vid. suo loco p. 21.

[8] «Zur Allitteration und Symmetrie bei Tit. Macc. Plautus, insbesondere im ersten Akte des Mil. glor.»; Beilage zu den Nachrichten über das Johanneum in Zittau, 1876.

Ut exemplum afferam: opere perfecto observavi fortuito oculis vel nonnullas *scaenas* inter se *concinere,* ita dico, ut ultima pars antecedentis scaenae totidem amplectatur versus quot prima sequentis; atque id his locis: vv. 436—440 = 441—445. Post IV. canticum (vv. 485—500) usque ad scaenae finem sunt 33 (501 — 533) versus ita dispositi: 7 + 7 + 7 + 6 + 6, aeque scaena sequens (534—566) habet 33 vers. eadem cum partitione (7 + 7 + 7 + 6 + 6); 674—681 = 682—689; 760 — 765 = 766—771; 792—795 = 796[9]—799; 816—819 = 820—823; 835—840 = 841—846; v. 884 sqq. Phormio pergit (secum) loqui, quare versus 880—883 cum postera scaena coniunxi; 985—989 = 990—994. — Ex multa igitur parte scaenae ita sunt coniunctae.

II. Cantica.

In canticis varii versus sine ulla regula agglutinati esse videntur. Nonne qua potest responsio reperiri?

Terenti cantica iam pridem accuratissime pertractata sunt a C. Conradto,[10] a Fr. Schlee,[11] a C. Meißnero.[12] De Conradti et Meißneri legibus disseram paucis.

Uterque vir doctus sumit tripartitionem canticorum, ductam ex tractatu «de comoedia», qui adscribitur Donato,[13] sed multum differt inter se in persequenda hac lege. Conr. (p. 98 sqq.) vult primam alteramque strophas sibi respondere in omnibus partibus, tertiam et numero versuum variam esse posse et metro; omnia igitur cantica esse formula *a a b* composita. Contra Meißner tripartitionem quidem accipit, sed secundum formulam *a b a,* cuius singulae possint partes eandem ostendere legem (p. 500 sqq.). — Itaque cum utramque simul legem sequi non possis, nihil aliud restaret — si sequendum esset — quam ut ad mediocritatem decurrens nunc sequaris Meißnerum nunc Conradtum, nonnunquam neutrum. Nonnulla sunt quidem laudanda, ut quae Meißner disserit de clausulis et quae sint signa finis canticorum; tamen utriusque viri rationes distribuendi falsae habentur, quas, quodsi in uno videntur et altero cantico observatae, in *omnia* non potes adhibere, nisi quid, immo multum mutaveris. Quare quasi cogimur utramque ducere legem suspectam.[14]

---

[9] Haec scaena versum 795 medium interrumpit; symmetria nostra omnis adimitur offensio. (Vid. p. 21.)

[10] «Die metrische Komposition der Komödie des Terenz.» Berlin 1876.

[11] «De vers. in cantic. Terent. cons.» Diss. inaug. Berol. 1879. Quam dissert. mihi bibliothecae nostrae non subministraverunt.

[12] Conradti opere adductus scripsit «Die Cantica des Terenz und ihre Eurythmie» (Jahrb. f. klass. Phil. [Fleckeis], Suppl. XII. 1881, p. 465—588).

[13] Cf. Meißner, p. 498; Dziatzko Rh. M. XXVI., p. 99.

[14] Cf. Hauler, l. l. p. 42[4].

Quicquam sine dubio certi de canticorum partitione vix detegi [illegible] viri docti putant.[14] Quod scilicet ad partitionem quoque a me factam [illegible] sed quam feci, dicere possum non esse violentam meque integre ac [illegible] adisse opus meum nec mihi venisse in mentem cantica in certam quandam includere formulam.[15] At ego quidem puto *cantica esse singula per se perspicienda quomodo optime partiri possis.* Tripartitionem quandam iis inesse nobis traditum est, sed quid est, quod nos cogat, ut cantica contendamus *ceteris* quoque in rebus *omnia* inter se congruere? Immo *verisimile est suo quodque pronuntiatum esse modo.*

Similes rationes in quaestione de canticis atque de diverbio secutus si quo loco in canticis cum Meißnero consentio, forte id factum est: ille formula sua usus ad finem pervenit eundem ad quem ego, qui sine formula inspexi metrum solum et argumentum; quae cum in disponendo diverbio tum gravissima videntur et ad secernendas strophas et ad statuendum finem *canticorum.* Et re vera effluere videtur tripartitio[16] accurate contemplantibus.

Hoc unum praeterea praemonendum est: Perspectis singulis canticis et dispositis contendere non ausim dispositiones a me factas, quarum rationes paucis et summatim exposui, ex multis esse vel ex omnibus partibus perfectam. Nonnulla sua quoque afferentur loco. — In quaestione ea utar via, ut enarrata paucis summa argumenti singularum scaenarum adscribam locis, quibus incisionem esse arbitror, numerum[17] versus.

B.

Compositio «Phormionis».

Prologus.

Terentius vehementer invehitur in Luscium Lanuvinum inimicum suum; qui ut Terentium depelleret de theatro, quaecumque potuit protulit: fabulas Terenti esse «tenui oratione» et «scriptura levi». Sed Luscii fabulae cum multo peiores sunt tum eius novissima stetit solum actoris opera (v. 11). Hoc loco sententiarum ordo est conclusus idque optime verbis assonantibus «laedit, laederet». Aliquid novi sequi apparet ex coniunctione «nunc si». — Poeta pergit: Pugnam honestam in me pugnet Luscius Lanuvinus; quod si fecerit, ego quoque deponam acerbitatem; quo me tractaverit modo, eodem eum

---

[15] Cf. Fr. Leo, l. l. et eius iudicium de Meißneri opere («Deutsche Literaturzeitung», 1882, 932), ubi inter alia dixit: «Auf dem Wege *unbefangener* Beobachtung wird auch hier weiter zu kommen sein.»

[16] Has tres partes sequuntur paucissimis locis (vid. v. 739 sqq. p. 19 sq.) nonnulli versiculi, ut quasi claudant canticum coniungantque cum diverbio.

[17] Secundum *«Phormionis» editionem,* quam post Dziatzkonem tertium curavit et ex omni parte auxit *E. Hauler.* Leipzig 1898.

[illegible] Sed quid afferam verba non profutura (23)? — Posthac nonnulla [illegible] de argumento fabulae et ut attendant, rogat (34).

Duobus igitur locis, qui ab eodem ducuntur verbo (v. 12: «*nunc* si» et v. 24: «*nunc* quid») sententiae ad finem perveniunt; initium est idem («*nunc*») nec non finis utrimque clarius significatur alliteratione «laedit laederet» (v. 11) et «finem facit» (v. 23).

Idcirco dividendum puto prologum in partes tres, quarum prima habet 11 versus. Secundae, si libros sequimur, sunt 12 vers., sed v. 15 iam pridem adulterinus et ineptus est indicatus et omissus;[18] vers. nimis loquax et ob illud «quem diceret, cui malediceret» frigidissime interpolatus esse videtur; quo omisso secunda pars itidem amplectitur 11 versus, ita ut 11 versus tertiae quoqne parti restent. Compositionis schema:

Vv. 1—11 = 11 vers.		
12—23 = 11	»	(omisso v. 15)
24—34 = 11	»	

Hanc symmetriam credere fere non possumus forte esse oblatam.

Actus I. (Vv. 1—152.)

I. scaena (35—50).

Davus advenit cum marsupio, ut persolvat Getae servo pecuniam debitam; quam munus fore opinatur uxori filii herilis; valde iniquum esse, qui parum habeant, eos munera debere ditioribus (42). Tum animum propius advertit ad miseriam Getae. Scaenam dispertire licet in partes duas octonos continentes versus, ac post v. 42 respiratio est ponenda, quod Davus indignatus (41, 42) tum demum accuratius disserit de Getae augustiis. Schema:

35—42 = 8 vers.
43—50 = 8 »

II. scaena (51—152).

Davus tradita Getae pecunia accipit laudem; nam laudandum esse temporibus illis, qui quod debeat persolvat (56). Interea conspecto vultu Getae sollicato quaerit, quae sit sollicitudinis causa; quod se ille dicere velle promittit, dummodo nihil prodat. Ac Davus id pollicetur (62). Dein narrat Geta Chremem et Demiphonem abisse, et Demiphonem quidem, ut paret sibi pecuniam (68). Davus interrumpit eius orationem miratus, nonne satis habeat Demipho pecuniae. Geta responsum abnuens memorat se quasi magistrum iuvenum esse relictum, munus ingratissimum (74); primum

[18] Vid. edition. Dziatz.[2] et Umpfenbachii; nunc versum per se bene defendit Hauler l. l.

se effrenationi obstitisse, sed. frustra; denique omnino indulsisse (79). Phaedriam amare coepisse cuiusdam lenonis servam, mala spe: pecunia a patre relicta nulla (84). Nec fuisse ei ullam facultatem nisi puellam comitandi; Antiphonem et Getam cum Phaedria amicam opperiente in tonstrina quadam morari solitos esse (90). «Interea» considentibus ipsis advenisse adulescentem quendam lacrimantem, quod viderit puellam advenam, quae deploret matrem mortuam (96). Posthac re clarius ab illo exposita commotos esse, ut eo se conferant (102). Pulchritudo puellae eleganter describitur (108), tum, quanta vi commoverit iuvenum animos (111). Antiphonem amore captum adisse nutricem, sed eam noluisse facere copiam puellae, nisi lege in matrimonium ductae (116). «Antipho», inquit Geta, «versatus in discrimine tenebatur magno desiderio, simul valde veritus patrem (121). Qua ex difficultate eum extraxit Phormio parasitus lege illa proposita, qua qui orbae est genere proximus, eam ut ducat obstringitur; amicum se ficturum esse patris puellae, Antiphonemque puellae cognatum proximum: itaque hunc lege coactum matrimonium initurum esse cum virgine. Patrem quoque eludendum suscepit parasitus simulatione litium (134).» Haec machina iam perfecta Davo inicit magnum terrorem Getam miseranti, in quem omnia mala irruptura esse arbitratur. Geta permittit se fortunae suae (139). Hoc loco narratio ipsa ad finem adducta est; Geta repetit paucis verbis importunitatem suam (143). Tum redit oratio ad Phaedriam, qui inopia pecuniae cytharistriam non potest redimere, et ad Demiphonem (150). Postremi duo versus sunt scaenici.

Versiculis significatis sententias singulas absolvi censeam neminem fore, quin concedat. De v. 102 solo res dubia est, quia intermissio posita est media in oratione, cuius prior est pars cum altera coniungenda; sed hoc loco credere licet post vocem «censeo» omnes adnuere,[19] atque viam ingredi.

Nunc iterum contemplemur scaenam. Habemus primum quater senos versus, quos tamquam clausula sequuntur quinque, 29 igitur versus (ad v. 79). Adhuc invenimus praefationem tantum sententiasque vulgares. Inde ab v. 80 incohatur narratio ipsa, amplexa primum quinque, deinde quater senos versus (ad v. 109): item 29 vers.; inde tribus vers. summa et culmen narrationis continetur. Subsequuntur 28 versiculi (ad 139), initio et fine amplexi quinos versus (illic bis quinos, hic quinque), cum media pars contineat 13 vers. (122—134); his 13 vers., quibus agitur de fundamento comoediae, suum, quod attinet ad symmetriam, locum concedendum esse putem. At vero non infitior in his 28 vers. me non invenire potuisse compositionem prorsus expolitam; quod detrimentum minus esse videtur, quam si quis arte et violentia procreavisset symmetriam formae pulcherrimae. Post 139 absoluta ipsa narratione sequuntur nonnulla addenda et ea bene composita.

---

[19] Cf. «censeo; *eamus!*»

Schema:

Vv. 51—56 . . . 6		
57—62 . . . 6		
63—68 . . . 6	= 29 vers.	
69—74 . . . 6		
75—79 . . . 5		

Vv. 80— 84 . . . 5		
85— 90 . . . 6		
91— 96 . . . 6	= 29 vers.	
97—102 . . . 6		
103—108 . . . 6		

Vv. 109—111 . . . . = 3 vers.

Vv. 112—116 . . . 5	
117—121 . . . 5	= 28 vers.
122—134 . . . *13*	
135—139 . . . 5	

Vv. 140—143 . . . 4	
144—146 . . . 3	= *13* vers.
147—150 . . . 4	
(151—152 . . . 2)	

Actus II. (Vv. 153—314.)

I. scaena (153—178). *I. canticum* (153—163).

Primi tres versus coniungendi sunt, quod continent Antiphonis lamentationem (155). Antipho, quin graviter ferat, quod Phormio sibi adduxerit puellam, non multum abest. Quo putandum est Phaedriam esse obstupefactum (huius igitur partis finis est v. 158). Antipho ad suam referens omnia commoditatem se excusare studet, sed Phaedria iratus eum increpat eique obicit: «amore abundas» (163). Ad hunc versum canticum patere puto ob clausulam (163), qua aptissime concluditur multaque cum vi. Primum igitur sumo bis ternos versus; inter tres primos sunt duo octonarii troch., tertius septenarius troch. Inter reliquos tres primus (156) in Dziatzkonis et Hauleri editione est octonarius iamb., repugnans connexui. At re vera habent libri mss. in fine vers. «conscius sis»; quo accepto si cum Bentleyo, quem secutus est Umpfenbach, omittimus[20] «est» — quod perfacile est — evenit octonarius *troch.*, quem iterum sequuntur octonarius troch. et septen. troch. — In posteris (159—163) omnes quinque vers. secum artius sunt connexi; v. 159 — septenarius troch. — coniungit hanc stropham cum antecedente.[21]

Schema cantici:

V. 153 . . . octon. troch.	
154 . . . octon. troch.	I.
155 . . . *septen. troch.*	

V. 156 . . . octon. troch.	
157 . . . octon. troch.	II. (= I.)
158 . . . *septen. troch.*	

V. 159 . . . *septen. troch.*	
160 . . . octon. iamb.	
161 . . . octon. iamb.	III.
162 . . . octon. iamb.	
163 . . . quatern. iamb. (clausula)	

---

[20] Unam syllabam omittere est necesse.

[21] Ad eundem fere pervenit finem Conradt p. 100; ac Meißn. canticum in suam rem convertit mutatis aliquanto vers. 161—162; plura legas p. 565.

Vv. 164—178: Post canticum Phaedria obiurgat Antiphonem copiosis verbis ob eius ignaviam et segnitiam (169); deinde tribus vers. (ad 172) suam ipsius condicionem astringit breviter et acriter. Antipho (173—178) se defendere conatur. — Scaena igitur ita est distributa:

Vv. (153—163 ... canticum)
164—169 ... 6 }
170—172 ... 3 } = 6 + 3 + 6 vers.
173—178 ... 6 }

II. scaena (179—230). *II. canticum* (179—190).

Primum notandum est libros mss. post v. 181 (sive 182) repetere «Andriae» v. 280, qui versus vulgo ac suo iure omittitur.[22] V. 179—180 sunt copulandi, haud aliter 181 et 182, omnes quattuor inter se, cum significent summatim Getae res adversas. V. 183 est extra canticum; nam continet nil nisi vilem interrogationem. Vv. 184—186 sibi propiores sunt; itidem 187—190: Geta lamentatur vehementius. Hic putandum est canticum finiri; nam inde meditationibus perruptis proveniunt omnino aliae sententiae, spectantes ad res canticis minime aptas: Geta quaerit, ubi sit Antipho. — Sed quae est responsio versuum intra canticum? V. 179 est in Dziatzk. et Hauleri editione octonarius troch.; quem cum Meißnero (p. 511) mutaverim in septenarium, accipiens «Nullu's»[23] et in fine «reperies».[24] V. 180 est septenarius troch., 181 et 182[25] octonarii iamb. V. 184—186 sunt octonarii iamb. (nam v. 185 iambicum quoque octon. legere licet[26]), 187 et 188 octonarii troch., 189 et 190 septenarii troch., sed hi quattuor in unum spectantes. Itaque septenariis canticum apte concluditur sicut eius initium capitur a septenariis.

Schema cantici II.:

V. 179 ... *septen. troch.* } I.
180 ... *septen. troch.*
181 ... octon. iamb.
182 ... octon. iamb.

V. 184 ... octon. iamb. } II.
185 ... octon. iamb.
186 ... octon. iamb.

[183]

V. 187 ... octon. troch. } III.
188 ... octon. troch.
189 ... *septen. troch.*
190 ... *septen. troch.*

Conradt[27] canticum pertinere arbitratur ad v. 196, Meißner[28] ad eundem versum *duo* cantica, quorum prius v. 186 finiri vult; neutram sententiam

[22] Vid. Bentley et Umpfenbach.
[23] Cf. Bentley.
[24] Lachmanni.
[25] Conradt, p. 126, et Meißner, p. 511, sui commodi causa delent hunc vers.
[26] Cf. annotat. Dziatzk.[2] ad hunc versum.
[27] De cantico agit l. l., p. 125—130.
[28] Vid. l. l., p. 511 sqq. et p. 521 sqq.

accipi posse iam attigi.[29] Octo igitur versus (191—199) posteris adiciendos puto tamquam intervallum interpositos; nam hos octo versus sequuntur 2 × 8 versus ad 215.[30] Hic subito mutatur rhythmus, nimirum quod Antipho conspecto Demiphone adventante perterritus tergum vertit; inde ad finem sunt 15 vers., in quibus Phaedria et Geta consilia capiunt, quomodo se gerant adversus Demiphonem.

Atque argumentum quidem (vv. 191—230) est hoc: Geta cognoscit Antiphonem eumque certiorem facit patrem venisse (199). Herum anxium solatur Geta, sed ille «non est apud se» (207). Qua de causa in eo est, ut Geta et Phaedria abeant. Antipho perterritus se susceptarum esse pollicitur simulationem, de qua eum docet Geta (215). Sed simulac conspicit patrem, capit fugam (218). Geta et Phadria difficultate sunt obstricti (222); nunc opus esse impudentia et mendacio sibi conscius est Geta (226), Phaedria obsequitur. — Schema scaenae:

Vv. (179—190	... canticum)	
191—199	... 8 vers.	
200—207	... 8 »	}
208—215	... 8 »	}
216—218	... 3 »	
219—222	... 4 »	}
223—226	... 4 »	}
227—230	... 4 »	}

III. scaena (231—314).

Meißner (p. 492 et 510) violenter tractatis versibus 237 et 238 in initio huius scaenae ponit canticum ad v. 238; sed forma metrica non est tam varia, quam in canticis invenire consuevimus. Alii omnes hoc loco canticum non esse iure arbitrantur. Scaena est ita disposita: Dum Geta et Phaedria se abdunt, Demipho secum computans, quid sit se absente factum, miratur, quonam modo se excusare possint filius eiusque socii (238). Quid agat, praesertim cum ita sit irritatus, ut ne meditari quidem secum queat, qua ratione se extrahat ex tanto discrimine, in quod inciderit praeter opinionem (246)?[31] A Geta Phaedria admonetur, ut adloquatur senem. Qui illum conspicit (253). Phaedria patruum leniter compellat, sed ille minatur filio absenti (262). Phaedriae illum defendenti Demipho obicit omnes esse coniuratos, omnes congruere (269). Phaedria respondet: «Antipho nihil commisit sua culpa, sed nos omnes a malefico quodam in iudicio sumus victi (278). Quodsi apud iudices verbum non respondit, adulescentulum se praebuit liberalem et pudicum (285).» Geta succurrit Phaedriae; non fuisse potestatem filio herili

[29] Versuum 191—196 emendatio non admodum aliena videtur; sed a consilio nostro abest plura de his dicere.

[30] Cf. conspicuam et concinnam Hauleri ad hunc versum annotationem.

[31] De v. 243 infra. p. 12.

auxilium ferendi. Demipho: «Cur non dedistis dotem lege constitutam (298)?» «Quia deerat argentum.» Demipho irritatus arcessi iubet Phormionem (306). Hunc Geta, Phaedria Antiphonem adducendum suscipit, Demipho aliquot amicos sibi advocat subsidium contra parasitum. — Compositio est haec: in vers. 231—246 Demipho secum loquitur, cum his et metro et argumento coniuncti sunt subsequentes septem (ad v. 253). Hanc partem excipiunt meri senarii, primum ita alternantes: 9 + 7 + 9 + 7 (vv. 254—285); illos 7 (247—253) octonarios iamb. exordium senariorum partis (254—285) putare licet. Vv. 286—298, qui ad argumentum fabulae summi sunt momenti, suum locum seorsum obtinent. Scaena concluditur eodem versiculorum numero (2 × 8 vers.), a quo initium capit. Atque observes velim illud «ere, salue» (286) respondere verbis v. 254 dictis: «mi patrue, salue». Schema:

Vv. 231—238	. . . 8 vers.	}
239—246	. . . 8 »	
247—253	. . . 7 »	
254—262	. . . 9 »	}
263—269	. . . 7 »	
270—278	. . . 9 »	
279—285	. . . 7 »	
286—298	. . . 13 »	
299—306	. . . 8 »	}
307—314	. . . 8 »	

Restat, ut v. 243 attingam Dziatzko (in editione secunda) eum uncis inclusit; cuius causam cognoscere non possum. Hauler versiculum, qui summam habet auctoritatem, quod eum commemorant et Cicero et Donatus,[32] sagaciter defendit in annotatione et appendice editionis suae. Atque vidimus praeterea symmetriam dicere pro eo.

Actus III. (315—566.)

I. scaena (315—347).

Antipho patris adventum veritus se abdit, Phormioni parasito Geta omnia «exedenda» iniungit (318). Phormio statim quoddam se effugium habere in promptu ostendit (321). Geta gavisus, etsi nihil comperit nisi Phormionem senis iram omnem in se derivaturum, nihilominus in ambiguo est (325), cum Phormio se iactet, quot homines iam deceperit (329); nam astutum semper habere viam apertam (332); cui homines sciant nihil esse, eum nec lacessi neque in ius vocari (336). Gratias refert Geta Phormioni, qui a se ipso dicit Antiphoni esse gratiam referendam; illi esse curam, sibi fructum curae (340), illum cenam parare, se cenare (343); illum omnia praebere quasi deum. Tunc accedit Demipho tribus cum advocatis.

Sunt igitur 33 versus, qui disiunguntur in ter undenos; undeni artius inter se cohaerent: nam 315—325 angor Getae et animus Phormionis ad

[32] Cf. Umpfenbach.

auxiliandum paratus, 326—336 Phormionis fiducia, 337—347 eiusdem animus gratus in Antiphonem illustratur; undeni rursus habent 4 + 3 + 4 vers. Schema:

Vv. 315—318 ... 4	= 11 vers.	Vv. 326—329 ... 4	= 11 vers.
319—321 ... 3		330—332 ... 3	
322—325 ... 4		333—336 ... 4	

Vv. 337—340 ... 4	= 11 vers.
341—343 ... 3	
344—347 ... 4	

Memorandum est Dziatzkonem versum 328 uncis inclusisse et interpolatum putavisse; dixit enim (edit.², p. 132): «V. 328 erscheint ... inhaltlos und bietet durch Konjektur gar nicht zu beseitigende Anstöße. Wie ist ‚tum' zu erklären? Zu ‚novi' ... läßt sich ... doch nur ‚eos' ergänzen, was einen ... dem Charakter des Phormio gar nicht entsprechenden Sinn gibt. Bei der Interpol. mag V. 605 mit zum Anhalt gedient haben.» At primum mihi mirum videtur, quo pacto ille interpolator in v. 605 inciderit, qui cum v. 328 praeter duo vocabula nihil habet commune tantoque intervallo ab eo distat. Deinde cur argumentum huius vers. non quadrat ad mores Phormionis, qui calliditatem in fabula plus necessario ostendit eaque ad «deverberandos» alios uti nusquam dubitat, dummodo aliquid commodi eveniat? Praeterea non obliviscendum est eum hoc loco per iocum loqui. Ne plura conferam, hoc satis esse puto ceterorum editorum neque alios neque Haulerum offendisse in hoc versu, quem praeterea legimus in Prisciano II., p. 137. De explananda «tum» particula confer imprimis rationem, qua Hauler argumentatur. Ad haec argumenta accedit meum quoque, quod omisso hoc versu omnis huius scaenae symmetria supra perscripta dilaberetur.

II. scaena (348—440).

Primum pauca proferam de v. 356, quem Bentley, Umpfenbach, Dziatzko, Hauler ... omittendum putant. Vers. non invenitur omnibus in codicibus nec concinit cum v. 354, cuius est repetitio molestissima, nec cum v. 386. Bentley dicit: «Vide an parasito minime stulto aut somnolento id conveniat, ut vers. mox 40[33] tam cito immemor sit nominis, quod hic, id est, modo iam nunc ante memoraverat, Stilphonis. Me itaque lubente versum ... expunxeris.» Et nos quidem eum expungamus, quod nobis insuper perverteret symmetriam.

Demipho venit cum advocatis conspicitque Phormionem (355), qui quasi Dem. non adesset, cum Geta colloquitur obiurgatque Demiphonem simulans se non audire eius verba (360); deinde multa commenticia profert de ficto Antiphonis cognato (367). Ob illiberalitatem Demiphonis in inimicitias se incidisse conqueritur, cum Demipho truculenter Getam appellat nomine (373); tum

[33] I. e. v. 386.

quaerit ex Phormione, quisnam fuerit ille amicus et cognatus (381); Phormio nomen «perdidit» illud fictum Chremetis (385), quod ei Geta subicit; Demipho se id ignorare testatur (392), Phormionem oportere documenta afferre cognationis (398). At ille: «Iudices docui de omnibus, nec me filius tuus potuit refellere; tibi quoque via aperta est ad iudicium.» Dem. perculsus mavult ei dare quinque minas, si Phanium abduxerit (410). Parasitus eum irridet: «Puella abusus dimittesne eam ut meretricem? Num id iubet lex (417)?» Dem.: «Non iubet, sed quid ad me (420)? Illam certe prohibebo domo mea (425).» Phormio eum irritat aequo suo animo (432): «Illa nupta habebis, quae oblectet tuam senectutem (435).» Responso Demiphonis minaci et pervicaci non minus minaciter et confidenter respondet Phormio atque abit.

Pars media scaenae sunt 12 vers. (399—410), quibus oratio serior exorditur. Secum coniungas velim primos 25 vers. (348—373 = 8 + 4 + 7 + 6), item subsequentes 25 vers. (8 + 4 + 7 + 6) ad v. 398; perinde 15 vers. (411—425 = 7 + 3 + 5), in quibus Phormio Demiphoni facit opprobria; nec minus qui sequuntur 15 vers. (7 + 3 + 5): parasitus concitat Demiphonis iram. Schema:

Vv. 348—355 ... 8	= 25 vers.	Vv. 374—381 ... 8	= 25 vers.
357—360 ... 4		382—385 ... 4	
361—367 ... 7		386—392 ... 7	
368—373 ... 6		393—398 ... 6	

Vv. 399—410 ... 12 vers.

Vv. 411—417 ... 7	= 15 vers.	Vv. 426—432 ... 7	= 15 vers.
418—420 ... 3		433—435 ... 3	
421—425 ... 5		436—440 ... 5	

III. scaena (441—464).

Demipho sollicitus Getam mittit filium quaesitum (445). Tum interrogat amicos, quid sit faciendum; quorum alii dicunt: «Quod filius egit, restitui aequm est,» alii: «Rescindi, quod factum est legibus, non potest,» deseruntque Demiphonem suspensum (459). Itaque it percontatum, num redierit Chremes frater, ut eius appetat consilium. Schema:

Vv. 441—445 ... 5 vers.
446—459 ... 14 »
460—464 ... 5 »

IV. scaena (465—484) = *III. canticum.*

Antipho pudore ignaviae suae captus revertitur, ut adsit amicae (470); deinde (471—478) Geta disserit, quae interim sint facta; intra hos octo vers. post 474 parva intermissio esse videtur. In v. 479 illud «*sic* habent principia sese» indicit hic quarundam sententiarum ordinem ad finem adductum esse, etsi non mutaretur metrum. Quod ad metrum pertinet, omnia accipio integra praeter v. 483, ubi[34]

[34] Cum Meißn. p. 535.

paullulum transpositis verbis («nam eius per unam») septenarius troch. evadit. Est igitur media pars bis quaternorum versuum; utrimque sunt sex vers.: prima in parte 4 octonarii troch. et 2 septenarii troch., ultima in parte ex contrario *duo* octon. troch. et *quattuor* septenarii, quibus concluditur canticum.

Schema[35]:

465 ... octon. troch.	I. (: III.)	479 ... octon. troch.	III.
466 ... octon. troch.		480 ... octon. troch.	
467 ... octon. troch.		481 ... septen. troch.	
468 ... octon. troch.		482 ... septen. troch.	
469 ... septen. troch.		483 ... septen. troch.	
470 ... septen. troch.		484 ... septen. troch.	

471 ... octon. iamb.	II.
472 ... octon. iamb.	
473 ... octon. iamb.	
474 ... octon. iamb.	
475 ... octon. iamb.	
476 ... octon. iamb.	
477 ... octon. iamb.	
478 ... octon. iamb.	

V. scaena (485—533). *IV. canticum* (485—500).

Primum annotandum est me secutum esse Hauleri emendationem, qui suo iure vocem «ei» posuit in initio v. 491 atque uncis inclusit syllabam «dum» (v. 492); quod ni fecissem, difluxisset omnis huius cantici symmetria.[36] — Intervallum haud dubium cantici est post «quo nunc abis» (v. 489), ubi cogitandum est Dorionem abiturum a Phaedria retineri; sequuntur obsecrationes Phaedriae cum brevibus Dorionis responsis (495). Deinde tentat Phaedria Dorionem adulando; quod cum minime procedat, eius ira oboritur, nec minus vehementer respondet Dorio discedens seorsum, Phaedriam deserens. Hic (500) cantici finem esse mihi probatum est: amici afflicti primum haud dubio tacent, tum colloquuntur inter se ipsos.

Quae est responsio his in tribus partibus: 1.) Vv. 485—489, 2.) 490—495, 3.) 496—500? V. 485 («Dorio») proemii loco haberi potest; v. 486 est octonarius iamb., quem sequuntur 3 septenarii troch.; haec est prima pars. V. 490 est senarius iamb. habetque eodem modo suum locum atque octonarius iamb. 486: in initio suae quisque partis. Brevitas versus 490 fortasse manavit ex dissolutis Dorionis responsis; *aptissime hoc versu, qui in tranquillis praecipue adhibetur orationibus, hoc loco utitur Dorio,* cuius responsa omnia brevissima sunt («hariolare», «fabulae», «logi», «somnia»), quoad lacessitus v. 499 sq. acrius

[35] Meißn. p. 535 sqq. canticum eodem fere modo disposuit; vi adhibita (eraso v. 467 etc.) effecit per omnes partes responsionem. Vana est dispositio, quam fecit Conradt p. 202 sq.

[36] Cf. Hauleri «app. crit.» et Conr. p. 25, 139, 141; Meißn. p. 479, 484.

invehitur. — *Octonario* troch. (491) aptissime siquificantur illa verba susurrata quam ocissime. Hunc versum sequuntur 4 septenarii troch., pariterque octonarium *iambicum* (496) 4 septenarii troch.

Sunt igitur tres partes, quae haud inepte inter se conveniunt. Partitione nostra *illi quoque tres versus iambici* immixti inter trochaicos *obtinent suum locum.*[37] Schema:

(485	. . . bin. troch.)	
486	. . . *octon. iamb.*	I.
487	. . . sept. troch.	I.
488	. . . sept. troch.	I.
489	. . . sept. troch.	I.

490	. . . senar. *iamb.*	II.
491	. . . *octon.* troch.	II.
492	. . . sept. troch.	II.
493	. . . sept, troch.	II.
494[38]	. . . sept. troch.	II.
495	. . . sept. troch.	II.

496	. . . *octon. iamb.*	III.
497	. . . sept. troch.	III.
498	. . . sept. troch.	III.
499	. . . sept. troch.	III.
500	. . . sept. troch.	III.

Nunc reliquam scaenae partem (501—533) inspiciamus, in qua usque ad v. 516 alternant octonarii iambici cum septenariis troch. Antea commemorandum est versum 507 a Bentleyo deletum et a Dziatzkone in suspicionem vocatum esse ob similitudinem cum v. 176. Sed Dziatzko iudicium suum ipse restrinxit imprimis in appendice editionis secundae.[39] Nunc versum restituit Hauler tam acri et plano testimonio, ut posthac neminem fore putaverim, qui in eo offenderet. Nec non versu omisso haec compositio scaenae evanesceret tota:

Phaedria fortunatum dicit Antiphonem, quippe qui domi habeat, quod amet. At hic «auribus», inquit, «teneo lupum» (507). Antipho Phaedriae venit auxilio in obsecrando lenone, qui durus vendidit illam cytharistriam neque Phaedriae diem ad solvendum prorogavit (514); primum blanditiis lenonem student placare (521); frustra; «repperi», inquit Dorio, «qui det neque lacrumet»; invenes eum monent nondum praeterisse diem praestitutam (527). Frustra! «Si non cras attuleris argentum, alius eam ducet» (533). — Habes primum ter septenos versus (septenos rursus in partes minores 3 + 4 versuum disponere possis) et bis senos (seni constant ex 3 + 3 vers.).

---

[37] Meißn. p. 484, 479 versus 485, 490, 491 eodem modo sibi convertit ac supra fecimus. Conradt versum 491 ut clausulam nihili pendit. Versum 491, quem Conr. p. 141 suae rei causa valde mutat, Meißn. talem reddidit qualem Hauler.

[38] Hunc versum eradendum putat Meißn. p. 548.

[39] Cf. etiam Umpfenbach.

Schema:

Vv. (485—500 . . . canticum)			
501—507 . . . 7 (3 + 4)	= 21		= 33 vers.
508—514 . . . 7 (3 + 4)			
515—521 . . . 7 (3 + 4)			
522—527 . . . 6 (3 + 3)	= 12		
528—533 . . . 6 (3 + 3)			

VI. scaena (534—566).

Antipho et Geta cupiunt Phaedriae ferre auxilium, sed unde afferant pecuniam (540)? Antipho suadet furtum, quod Geta respuit veritus, ne res sibi in malam crucem evertatur; nam senem nimis omnibus suscensere (547). Qua re Phaedria spe deiectus ait se puellam quocunque terrarum secuturum esse aut periturum. Antipho anxius iterum obsecrat Getam, ut ferat opem (554). Ac Geta re vera quandam argenti rationem comparandi praesto habet, quam ut perficiat, Phormione ait opus esse (560). Ut eum conveniant, Geta et Phaedria abeunt, Antipho se confert ad Phanium.

Compositio huius scaenae est eadem fere atque antecedentis (praeter canticum scilicet); sunt enim ex 33 versibus huius scaenae ter septeni inter se cohaerentes (septeni habent binas partes 2 + 5 versuum); hi 21 vers. pertinent eo usque, dum Geta auxilium se ferre posse pollicetur.

Sequuntur bis seni versus, dispositi hunc in modum: 4 + 2 et 2 + 4.

Schema:

Vv. 534—540 . . . 7 (5 + 2)	= 21	= 33 vers.
541—547 . . . 7 (2 + 5)		
548—554 . . . 7 (5 + 2)		
555—560 . . . 6 (4 + 2)	= 12	
561—566 . . . 6 (2 + 4)		

Actus IV. (567—765.)

I. scaena (567—590).

Chremes Lemno reversus filiam non adduxit, quia exierat cum matre ad patrem visendum (573); compertum habet eam iam venisse Athenas itidemque, quid filio obtigerit (578). Quae sunt ei molestissima (585); facile uxor resciscet illud viri de amica furtum; quamobrem opus est remedio (590). — Quattuor scaenae partes ita se excipiunt:

Vv. 567—573 . . . 7 vers.
574—578 . . . 5 »
579—585 . . . 7 »
586—590 . . . 5 »

II. scaena (591—605).

Geta explicavit Phormioni difficultatem (593); ille re perspecta gaudet sibi dari occasionem Phaedriae gratiam referendi (599). Tunc conspicit

Chremem primum perterritus, deinde commodum opinatus, quod, quos fallant duo sint sibi dati. Schema:

Vv. 591—593	. . . 3	vers.
594—599	. . . 6	»
600—605	. . . 6	»

III. scaena (606—681).

Geta Chremete loquaciter salutato (612) transit ad ea, quae erant facta, narranda seque remedium habere testatur (618). «Conveni», inquit, «Phormionem solum suasique, ut cum bona componeremus gratia controversiam (626). Damno, dixi, tibi erit ineunti litem cum homine illo eloquentissimo. Quid igitur vis tibi dari (635)? Ille primum pro impudentia sua postulavit talentum (644); sed missis ineptiis postremum dixit sibi esse sponsam aliquam (653); si vellet Demipho sibi dare, quantum ab illa esset accepturus, istam (Phanium) se ducturum (660) ac triginta quidem minis sibi vehementer opus esse (667).» Chremes Demiphone indignato non dubitat argentum praebere (673). Quo prius parasitus pecuniam accipiat, sumit Chremes de fructu praedii Lemnii (681).

Versus ita sunt connexi: 1.) 7 + 6 + 8, quibus continetur exordium; 2.) media pars (9 + 9 + 9), qua quamnam rationem invenerit Geta comperimus ad comparandam Phanium; 3.) ex tertia atque ultima parte cognoscimus certam et finitam Phormionis condicionem, cui Chremes concedit. Schema:

Vv. 606—612	. . . 7	vers.
613—618	. . . 6	»
619—626	. . . 8	»
627—635	. . . 9	»
636—644	. . . 9	»
645—653	. . . 9	»
654—660	. . . 7	»
661—667	. . . 7	»
668—673	. . . 6	»
674—681	. . . 8	»

Scaenam puto satis esse eleganter constitutam; forsitan offendas versum (626) attrahi ad partem antecedentem, quod mihi quoque aliquantum dubium fuit. Sed cf. supra, p. 4[7].

IV. scaena (682—712).

Post «negoti incipere» (v. 710) duo semiversus excidisse putem cum ob alias causas tum ob compositionem huius scaenae. Traditum est summo consensu: «Haruspex vetuit ante brumam autem novi Negoti incipere quae causast iustissima», quod ferri vix potest. Bentley ita disserit: «Illud ,autem' extra locum et ordinem ponitur . . . Ante brumam nihil magni negotii incipere non ex aruspicina fluxit, sed alterius prorsus fuit superstitionis. Hoc posito videor mihi meo iure post ,vetuit' distinguere. . . Iam autem rite et suo

ordine venit ‚autem', si hinc *nova* sententia inchoatur. Repono: ‚Negoti nihil incipere causa est sontica'.» Haec coniectura certe quidem omnes tollit difficultates, sed longius abest a codicum scriptura. In promptu est statuere aposiopesin, sed restat genetivus «negoti» pertinens ad «incipere». Probabilissimum mihi videtur sequi Fleckeisenum et Dziatzkonem, qui duo semiversus excidisse suspicantur, cum Hauler defendat librorum mss. scripturam.

Antipho, qui sane non perspicit, qua de re agatur, Getam incusat, cur omnia deleverit (689), cur promiserit illam posse extrudi (697). Geta ei exponit consilium: puella amovebitur, donec amici pecuniam dederint (705); tum redibit nosque dicemus deos non esse propitios. Schema:

Vv. 682—689 . . . 8 vers.
690—697 . . . 8 »
698—705 . . . 8 »
706—712 . . . 8[40] »

V. scaena (713—727).

Demipho et Chremes accedunt, ut tradant Phormioni illas 30 minas (717); Geta Demiphonem ad eum ducat, deinde adeat ad Chremetis uxorem, quae Phanium consoletur. Quae observantia Demiphoni supervacanea esse videtur. Sunt igitur:

713—717 . . . 5 vers.
718—727 . . . 2 × 5 vers.

VI. scaena (728—765). *V. canticum* (728—741).

Canticum praecipue ob metri continuationem ad v. 741 perduxerim. Quattuor versus (728—731) agunt de eodem argumento, aeque vv. 732—734; cogitandum enim est Sophronam post v. 731 meditantem consistere. In vv. 735—738 Chremes agnoscit nutricem filiae et post «east ipsa» (738) accedit ad eam allocuturus. Vv. 739—741 sunt per se seiuncti, simulque his canticum finitur; nam Sophrona a Chremete seorsum ducta intervallum exsistit et finis cantici metro quoque significatur. — Metrice versus ita sunt constituti: inter 4 primos sunt 728, 730, 731 octonarii troch.; 729 est quaternarius troch. paulumque ibi intermittere Sophronam verisimile est ob eamque rem versus illius brevitas (quaternarius!) minus habet offensionis. V. 732 est septen. troch., 733 et 734 octonarii sunt iambici, 735—738 octonarii troch., tribusque septenariis troch. (739—741) canticum bene concluditur.[41]

[40] Secundum Fleckeis. coniecturam.

[41] Conr. p. 152 canticum perducit od v. 747 — quod ne probes obstat et argumentum et metrum —, Meißn. p. 528 ad v. 739, ubi sententiarum ordo ad finem pervenit nullum; praeterea versum 738 in suspicionem adducere conatur.

Schema:

728 . . . octon. troch.
729 . . . quatern. troch.
730 . . . octon. troch.
731 . . . octon. troch. } I. (cf. III.)

732 . . . *septen. troch.*
733 . . . octon. iamb.
734 . . . octon. iamb. } II.

735 . . . octon. troch.
736 . . . octon. troch.
737 . . . octon. troch.
738 . . . octon. troch. } III.

739 . . . *septen. troch.*
740 . . . septen. troch.
741 . . . septen. troch. } conclusio.

Vv. 742—765 Chremes anxius Sophronam abducit a foribus eique aperit se hic habere uxorem legitimam saevam, Lemni se nomen finxisse (747); ipse comperit amicam esse mortuam, filiam a Sophrona, quid fecerit, ignara Antiphoni nuptum datam (753). Miratus maximo cum gaudio resciscit illam Phanium esse suam ipsius filiam (759). Per se id factum est, quod ut fieret maximam dederat operam cum fratre. Compositio est perlucida:

Vv. (728—741 . . . canticum)
742—747 . . . 6 vers.
748—753 . . . 6 »
754—459 . . . 6 »
760—765 . . . 6 »

Actus V. (766—1055.)

I. scaena (766—783).

Demipho iratus est, quod Phormio argento abducto pro malitia vel pretium abstulerit (771); insuper Geta profert ne satis certum quidem esse parasitum dolosum illam ducturum; quamobrem Demipho arcessit Nausistratam (777). Geta laetatur Phaedriae saltem pecuniam esse inventam; ipsi autem plagas crescere»; sed Phanio animum confirmare oportet (783). Responsio per se elucet: Vv. 766—771 . . . 6 vers.
772—777 . . . 6 »
778—783 . . . 6 »

II. scaena (784—795).

Demipho ut sibi opituletur orat Nausistratam; uxor fratris id libenter pollicita queritur, quod viri culpa eum non eximie possit adiuvare (787); nam Chremem praedium neglegenter administrare (791). Nausistrata ob iram paene, quae Demiphoni promiserat, oblita est. Schema:

Vv. 784—787 . . . 4 vers.
788—791 . . . 4 »
792—795 . . . 4 »

III. scaena (796—819).

Chremes nuntiat argentum Phormioni datum. Nausistrata conspecta caute profert cetera . . . Phanium abduci non posse (799); nam esse illam sibi cognatam (802); patris nomen aliud dictum (806). Demiphonem ad eam iturum frater retinet (809) eique tandem persuadet, ut obsequatur (812). Nausistrata probat Phanium manere (815). Post uxoris discessum Chremes fratri omnia aperte exponit. — Haec scaena cohaeret cum antecedente artissime et versu communi 795 et prima parte, quae amplectitur quattuor versus sicut ultima antecedentis scaenae. Schema:

Vv. 796—799 . . . 4 vers.
800—802 . . . 3 »
803—806 . . . 4 »
807—809 . . . 3 »
810—812 . . . 3 »
813—815 . . . 3 »
816—819 . . . 4 »

IV. scaena (820—827).

Antipho beatum dicit Phaedriam, qui pecuniam assecutus fortunam etiam secundam sit assecutus (823); sibi non remedium esse praeter spem (827). Habemus igitur:

820—823 . . . 4 vers.
824—827 . . . 4 »

Fleckeisenum secutus et Dziatzkonem, cuius argumentis Hauler adiunxit nova, elisi versum 828, qui symmetriam laederet. Imprimis perspici non potest, cur Antipho nunc patrem convenire cupiat.[42]

V. scaena (829—841).

Phormio eventu prospero contentus otium sibi optat ad potandum, Antipho advenit cum nuntio Phaedriam frui amore faustum et felicem (834); Phormio «At ego me», inquit, «senibus subtraham Sunium».

829—834 . . . 6 vers.
835—840 . . . 6 »

VI. scaena (841—883).

Geta exsultans properat, ut, quanta fortuna Antiphoni contigerit, nuntiet (846). Antipho revocat abiturum nec vocanti oboedientem (849). Denique agnoscit Geta herum eumque praedicat (855). Phormio eum monet ut quae sint facta enarret. Tum Geta: «Demipho me misit ad Phanium, ubi me puer introire vetuit (864); nam Chremem introisse; admovi aurem, attendi, ‚facinus pulcherrimum audivi‘ (870): Chremem esse patrem Phanii; tunc patruus ingreditur (879). Uterque ait tibi, Antipho, se potestatem daturum puellae ducendae.» Omnes gaudent (883).

---

[42] Bentley versum asservatum quidem nimis correxit.

Schema:

Vv. 841—846	. . . 6	vers.
847—849	. . . 3	»
850—855	. . . 6	»
856—864	. . . 9	»
865—870	. . . 6	»
871—879	. . . 9	»
880—883	. . . 4	»

Extremi 4 versus (880—883) coniungunt, quod attinet ad symmetriam, hanc scaenam cum subsequente Phormionis monologo.

VII. scaena (884—893).

Phormio secum volutat nunc etiam *Phaedriae* curam argentariam adimi posse (887) atque animo iam concepit consilium (889); primum se obviam dabit senibus.

Vv. 884—887	. . . 4	vers.
888—889	. . . 2	»
890—893	. . . 4	»

VIII. scaena (894—989).

Demipho eiusque frater dis gratiam agunt; ille ut parasito auferat pecuniam, adit appropinquantem (901). Phormio se nescium simulat postulatque, ut illam (Phanium) sibi uxorem dent (909). Demipho id propter rumorem populi fieri non posse contendit Antiphonemque illam invitum amissurum (920); hac occasione data attingit illud ulcus, quapropter colloquium petiverat cum Phormione. Pecuniam repetenti Phormio «illa (puella)», inquit, «manente apud te dos maneat apud me; vestra causa repudiavi aliam, quae mihi dotem attulisset magnam (929)». Ob hanc constantiam Dem. pro iracundia sua confert maledicta in parasitum (936). Qui «si vos ita», inquit, «neque ego mihi moderabor . . . Hic quandam noram, cuius vir uxorem. . . (941)». Uterque aures arrigit. Cum Phormio se omnia habere comperta de illo adulterio ostendat, minitans se ea proditurum Nausistratae, Chremes semanimis omnia facere est paratus: Phormio retineat pecuniam. Parasitus insultat illorum inconstantiam puerilem. Dem. qua est avaritia, argentum testatur se non omissurum suadetque fratri haec (957): «Peccatum tuum iam elatum foras praestat nosmet ipsos profiteri uxori tuae; ego te in gratiam redigam (968).» Phormio dolo subaudito increpitans «Tune putas», inquit, «Chremes, nunc te sine negotio veniam accepturum? At ego quidem te detrudam in res adversas». Demipho invehitur in eum (977). Cum minitetur in ius se iturum, parasitus id irridens se convertit ad Chremetis domum utroque eum vi retinente (984). Phormio clamore Nausistratam vocat.[43]

---

[43] Nostro in schemate implicatus est v. 976, quem (a Dziatzkone solo in dubium vocatum) Hauler defendit perlucide hoc argumento: «Der Vers scheint eher eine dem Volksmunde entlehnte Redensart als eine directe Plautusreminiszenz zu sein.»

Schema:

Vv.			
Vv. 894—901	... 8	vers.	= 16
902—909	... 8	»	
910—917	... 8	»	= 11
918—920	... 3	»	
921—929	... 9	»	= 21
930—936	... 7[44]	»	
937—941	... 5	»	
942—949	... 8	»	= 16
950—957	... 8	»	
958—965	... 8	»	= 11
966—968	... 3	»	
969—977	... 9	»	= 21
978—984	... 7[44]	»	
985—989	... 5	»	

IX. scaena (990—1055).

Nausistrata quid sit interrogante Phormio cavillatur Chremem obstupefactum (994). Quem uxor propter eius timorem suspectum habere coepit (998). Cum postularet a viro, ut se faceret certiorem, parasitus eius partem suscipit (1003); omnibus proditis summam excitat feminae indignationem (1010). Quare a viro aversa Demiphonem compellat de clandestinis illis «itionibus» Lemnum; qui fratrem excusare conatur (1015): vinolentum semel illum peccavisse; nunc amica mortua aequo hoc ferat animo (1020). Nausistrata pro certo habet virum nec posthac fore meliorem (1025). Phormio laetatur, quod inimicum coniecerit in tantam molestiam (1030). Demipho Nausistratam usque querentem, ut ignoscat, obsecrat (1035). Phormio providet pecuniae, quam se Phaedriae ut amicam redimeret expedisse confitetur. «Si pater», inquit, «duas habuit uxores, filio liceat habere amicam (1042)». Hoc obtutu Nausistrata omnia ei concedit filiumque visere cupit; qui iudex res componat (1046); Phormioni esse se pro merito quaecunque voluerit facturam (1051). Atque ille rogat, ut se invitet ad cenam.

Post v. 1028 Dziatzko existimabat excidisse unum versum; sed ratione, qua Hauler explanandum suscipit versum, accepta ego quidem neque quicquam post v. 1028 desidero in connexu sententiarum neque illa lacuna conveniret huic versuum structurae:

---

[44] Cf. v. 936 «in ius ambula!» et in parte respondente v. 980: «in ius eamus!»

Vv. 990 — 994	. . . 5	vers.
995 — 998	. . . 4	»
999 — 1003	. . . 5	»
1004 — 1010	. . . 7	»
1011 — 1015	. . . 5	»
1016 — 1020	. . . 5	»
1021 1025	. . . 5	»
1026 — 1030	. . . 5	»
1031 — 1035	. . . 5	»
1036 — 1042	. . . 7	»
1043 — 1046	. . . 4	»
1047 — 1051	. . . 5	»
1052 — 1055	. . . 4	»

C.

Huiuscemodi quaestiones, quod plurimi est aestimandum, saepe *rei criticae* ansam praebent. Apparuit enim partitionem adiuvare omnibus fere dixerim locis opinionem illam, quae aliis quoque rationibus probata videtur, nec non ei repugnare versus re verà ineptos, falso in suspicionem vocatos congruere cum ea. Cf. quae dicta sunt ad vv. 15, 156, 243, 328, 356, 491, 492, 496, *507,* 710, 828, *976,* 1028.

Hac via et alios fructus capi posse mihi est persuasum; at nunc multum abest, ut res iam ad eum sit finem adducta, ad quem de tragicis Graecorum operibus viri docti pervenerunt. Quod minime hoc loco fieri potest.

Huic quaestioni ut per singulas partes repugnetur — perdifficile est reperire talibus in quaestionibus aliquid sine dubio certi — tamen in rem universam spectantibus id quidem elucescere putaverim *1.) Phormioni certe nonnihil inesse symmetriae, 2.) hanc symmetriam paullulum momenti afferre ad perspicuitatem compositionis et ad disceptandas quasdam controversias.*
